



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè  
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac  
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non  
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu  
peragi possint

**Limpens, Ferdinand**

**Coloniæ Agrippinæ, 1744**

Oratio ad SS. Trinitatem.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](#)

**CAPUT SEXTUM.**

*De Cultu-tatris Dei Trini & unius, Hyperdulia  
B. M. V. Deipara, Dulia Angelorum ac Sancto-  
rum. Item de pietate ac benevolentia anima-  
bus in purgatorio detentis, dein de variis per  
opera misericordia sive corporalia sive  
spiritualia praestandis.*

§. imus.

*Orationes & affectus erga Deum Trinum & Unum  
certis per hebdomadem ac mensem temporibus eli-  
ciendi. In quibus ob durius evadendum purgato-  
rium, animam magis magisque purificandam, &  
ad ultimum finem suum dispensendam te debes  
frequenter cum magno fervore & sin-  
gulari devotionis gustu exercere.*

*Oratio ad SS. Trinitatem.*

**C**redo in te, spero in te, amo te SS. Trini-  
tas unus Deus, incomprehensibilis cogita-  
tu, veritas, fidelitas, pulchritudo, sapientia,  
bonitas infinita. Offero tibi pro libello sup-  
plici omnia merita IESU, Mariæ, omnium Elec-  
torum, & rogo, ut tuis beneficiis benè semper  
utar. Quidquid boni de te scriptum habent  
Bibliothecæ omnes. Quidquid boni de te dixit  
vel

vel cogitavit ullus. Quidquid in thesauro scientiae tuæ est, quod tibi offerri à me possit, id omne tibi offero in gratulationem de bonis tuis, in gratiarum actionem pro donis tuis, in satisfactionem pro malis meis, in impetrationem amoris, quo te magis ac magis amem semper, usque in diem pulchrum amoris æterni. Illo Magistro doce me omnia optimè ac maximâ diligentia facere. Quia illa facio tui amore, qui optimus & maximus es ô pretiosissime, ô pulcherrime, ô nobilissime, ô gloriosissime Deus meus, deliciarum omnium priuæ ac summæ deliciæ, affluentissima dulcedo, infinitè infinita immensitas, divina Majestas, omnis boni, quod amari potest, thesaurus unicus, ac pura voluptas, SS. Trinitas, unum verum bonum, & ultimus finis meus.

*Notiones trium divinarum personarum.*

O Stupenda Patris innascibilitas! æterna geniti non facti filii filiatio, necessaria & amabilis Spiritus sancti à Patre Filioque spirati processio! ostendis te nobis per has notiones tuas, ut per proprias rationes unamquamque personam divinam cognoscamus. Et tamen te inter tot etiam notiones, dum credimus, necdum novimus Deus meus. Hic hæremus inter obscura ista, sed olim explicanda unitatis & pluralitatis vocabula. Usque dum te ipsum nobis ostendas in te, ô digna divinitatis Unitas & personarum Trinitas. Exspecto illud lumen, & spe-ro; quod hæc in te vistrus sim, ut plus te amem.